

39
 gistratus iussa praestolarentur: moxque publice per Praconem, ne quis caupo Magistratus injussu advenam peregrinum quempiam hospitio suscipiat, edictum est.

Oratores deinde tres Romam ad Pontificem miserunt, Senas ut adveniat, rogaturos. Hi fuere Bartholomaeus Turæ Medicus suorum temporum celeberrimus, Laurentius Gini, & Jacobus Guidini: qui circa finem Januarii mensis ipsum adeuntes, eò suasionibus pellexerunt, ut Patria, quam maximè diligebat, invivendi percupidus, Februario mense nondum peracto, unà cum eis Senas pervenerit, ingentique omnium privatim publicèque lætitia (uti par erat) exceptus est, & in Episcopii aedibus, splendidissimè quidem paratis, recipitur. Die verò Dominico insequenti cum is esset; quo Pontifex Sacram auream Rosam maxima cum celebritate Romæ à se prius circumlatam, in maximi honoris signum cuiuspiam solitus est elargiri, dum in Majori Basilica Missæ solennibus interesset, eam Supremo Domino Magistratei donavit. Horum Prior Nicolaus Boninsignius, Cardinalibus sex comitantibus, ad Palatium detulit. Postmodum verò equestres omnes, Aulicis quamplurimis, ac Civibus subsequenter, maxima cum solennitate, ac pompa, Antonio Pontificis Nepore, qui unus erat è Magistratu, manu propria sustinente, per Urbem circumtulere. Cùmque Senis longiorem moram Pontifex protraheret, Cœnobita quamplurima intra extraque Civitatem invisit, sacrisque muneribus cumulavit. Civitatem autem Senarum, quam pridem Episcopali dignitate decoratam reperit, Metropolitanam constituit, Massanam, Crassetanam, Suanensem, Clusinam, & Pientinam, Ilcinemque Dioceses illi subiciens. Solennes generalis anathematis cœremonias in Cœna Domini de more ante Basilicam celebravit. At mox IX. Kal. Maji ex Urbe, à cunctis Magistratibus comitatus ad Portam usque, discessit, Mantuam profecturus, ut illic habito, pro ut constitutum erat, Christianorum Concilio, bellum contra immanes Turchas, & Christiani nominis hostes moliretur.

Civitate ob tanti viri dignitatem præ gaudio exultante, ac per totam æstatem festos dies quamplures celebrante, nova res ac terribilis, quæque mentes hominum perturbaret, exorta est: Nam Septembri mense vis maxima ventorum, aurora nondum apparente, à Meridiana plaga in locis maritimis invaluit, quæ Crasseti primò domos multas, ac parietes deiceret, arbores quamplures, ac vineas radicibus evelleret, jumenta prosterneret, homines, quos in agris reperisset, vi sua per aërem circumvolveret; ad Montem deinde Piscarium publica moenia dirueret; ad Ursarium, & Paganicum homines multos, ac bestias ad terram desiciens perimeret; ad Parium pistrinum devastaret, arbores evelleret, armenta unà cum Pastoribus longius quidem asportaret; ac per Umbrohem in Arbia Vallem progrediens, damna plurima, domos, ac arbores evertens, hominesque, ac jumenta interimens, regionibus illis inferret.

Quarto Idus Novembris Antonius Picolomineus Senensis Antistes moritur, cui postmodum Franciscus Nannis filius ex Pii Pon-

A tificis Sorore Nepos, ab eo in Picolomineam Familiam ascitus, maximo Civitatis totius cum gaudio, subrogatur. Paulò verò post Pontifex Mantuà discedens, ubi per menses novem, habito Christianorum Concilio, fuerat commoratus, Senam ingreditur pridie Kal. Februarii; quam splendidissimè (uti par erat) aureis, sericisque pannis, pictura, ac festa fronde ab ingressu usque ad Majorem Basilicam, quà transiturus erat, ornatam reperit; primumque ad Urbis Portam excelsis tabulatis constructis, Pueri quamplures Hierarchias cœlestes ornatu ac splendore maximo representantes, carmina quadam, ac modulos, gratias Deo pro tanti viri dignitate agentes, ipsique Urbem, ac Cives commendantes, tam dulci gratoque concentu cecinerunt, ut subsistens Pontifex præ gaudio atque amore lachrymas continere vix potuerit. Cùmque dies jam plures commoratus Cives omnes ad se venientes grato atque hilari vultu excepisset, sacri Quadragenarii jejunii diebus adventibus, viros quinque, meritis quidem, ad Cardineam dignitatem assumpti. Hi autem fuere Franciscus Senensis Præful, ejus quem diximus ex Sorore Nepos, Spoletinus, ac Reatinus Episcopi, Alexander Saxoferratenis Eremitanorum Generalis Prior, & Nicolaus Fortiguerra Pistoriensis, qui postmodum ejus operâ Civitate donatus est. Ad Balnea deinde Maciaretana Maji mensis initio proficiscitur, ac circiter finem regrediens, Cathedrali Templum Spirituali dono, quod Plenariam Indulgentiam appellant, in peccatorum remissionem, decoravit, ac ea ipsa die ibidem Missæ solennia, ac cœremonias celebravit. Mox ad Balnea Petriolana concessit, ubi per totum Junium mensem commoratus est, ac rediens, & Franciscanorum Cœnobium incolens, Divi Martini Templum Augusto mense consecravit. Quo tempore Civitas omnis Deiparæ Assumptionis Festum, quod maximum est, splendidissimo apparatu, ac ingenti pompa celebravit, ferarumque magnam venationem in Foro, quod Theatri formam præfert, exhibuit. Postridem verò supplicationes per Urbem actæ, in quibus quidem Pontifex cum Cardinalibus omnibus, ac tota Curia feriatim procedentes interfuere. Hos subsequenter Magistratus omnes, ac Cives quamplures: res profectò visu perquam pulcherrima. Tertia deinde die hastis ab Equitibus Nobilibus certatum est, statumque, ut ea ipsa dies, quæ annua Exaltationis Pii ad Pontificatum fuerat, solennis, festaque in perpetuum haberetur, & in qualibet Curia feria servarentur.

E Ipso etiam consulente Pontifice, puteos quamplures ad frumenta condenda fodere, quos, cum copiosa esset annona, eo ipso anno tritico impleverunt, quod solidorum decem tritici sextarium pretium haud excederet. Ea demum asservandi frumenti consuetudo per multos deinde annos maxima cum omnis Civitatis securitate & commodo perduravit. Nam & bellorum periculis, & annona caritati ea re provifum erat. Id postea, Republica in pejus delabente, Civibusque res negligentius curantibus, prætermiffum est. Is ejus rei erat ordo: Præfectis negotio remprocurantibus, ut quotannis, ubi oportuisset, veteri tritico in Cives distributo, novum